P. Terentii Afri comoediis inter litterarum dramaticarum apud Romanos reliquias jure primus locus adsignatur. Fere omnes omnium aetatum viri docti, iique summi nominis, summaeque auctoritatis philologi iis aut interpretandis aut edendis operam dederunt, ut hodierno tempore illius scriptoris non jam adeo multa indigere videantur aut nova aut accuratiore explicatione.

Equidem ineunte illo, qui nunc exiit, anno scholastico munus susceperam gratissimum, discipulis primi ordinis Terentii Adelphos explicandi, quo dum praeter alia eaque haud pauca scholae negotia ea qua par est sedulitate occupatum me sentio, novam mihi suscipiendam video provinciam, ut programmati ad publicum Gymnasii nostri examen invitanti latino quodam commentariolo praeludam. Quae res mihi quum ex inopinato tum fere sero innotuit, quumque alia impeditiora et latius explicanda absolvere per temporis angustias jam non liceret, fere invitus consilium cepi, ut ad illam fabulam excursum conscriberem, qui magis discipulis quasi epilogus, quam doctis lectoribus tanquam novum εὕρημα proponeretur.

Per satis longum vero tempus attenta aure et quasi summis digitis explorans classicorum, quae dicuntur, et Graecorum et Latinorum poëmatum formam exteriorem, et optimi cujusque poetae inde fructus sensu et animo percipiens, haberem quidem quae summatim in eo genere proferrem, quae vero ad libellum alio consilio conscribendum reponere malui, ut ea tantum hoc loco promerem, quae quasi praeparationis ad illum finem pars et collectaneorum specimen esse videantur.

De sono versuum Terentianorum in Adelphis.

Ad fabulam excursus.

Quantum venustatis atque gratiae poëmatis recentiore quadam lingua compositis inde existat, ut versus certa lege alternantes in exitu aut unius aut plurium syllabarum similem sonum prodant, (id quod in levioribus poëseos, lyricae potissimum, et gracilioribus generibus quasi praecepti constantis auctoritatem obtinuit,) illud omnes communiter consentientes cognitum habent, qui purgatis auribus de illis rebus judicium ferre possunt. Illud homoeoteleuton, quod vocant, siquidem aptum est et purum neque durum aut contortum, proprium quoddam et singulare recentioris poëseos est ornamentum, miramque movere potest et legentium et audientium delectationem, unde factum est,

ut poëtarum, quos recentior aetas protulit, optimus quisque in eo genere maxime summoque cum studio elaboraverit. Quamquam in eo quoque loco, sicut toto poëseos regno, divinus quidam nisus atque afflatus, sui ipsius fere non conscius, plurimum valet, omnisque inepta ac nimia diligentia justoque altius repetita et arcessita ars incidit in vitium et jure reprehenditur.

Poëtae veteres, graecos dico et latinos, eam laudem commerere noluerunt. Non desunt quidem versuum similiter exeuntium exempla et ferè apud omnes antiquitatis poëtas reperiuntur. Lingua etiam utraque, quum latina tum graeca, non solum in radicibus, sed etiam in terminationibus vocum (id quod ad linguas recentiores haud aeque pertinet, quorum termini multo infirmiores plerumque et leviores sunt, et cum veterum linguarum formis et flexionibus comparari vix possunt) tantam habet sonorum quasi copiam, tantam gravitatem et pulchritudinem, ut difficile fere videatur intelligere, cur poëtae veteres illud poëseos ornamentum et corollarium repudiaverint, eoque nisi fere inscientes et fortuito usi non sint. Quamvis vero pro certo hoc minime affirmaverim, et quamvis multum sit a viris doctis disputatum, utrum ea, quae in veteribus poëmatis sparsim leguntur, homoeoteleuta, ab auctoris arte et consilio an ab incauta negligentia originem duxerint, tamen nostrum hoc loco non est, in eam rem accuratius inquirere, nec repetere, quae in eo genere jam satis luculenter ac firmiter statuerint atque evicerint apti judices.

Illud profecto nemo negare poterit, veteres poëtas, quamvis fortasse illud verum ac proprium, quod apud recentioris aevi populos tantopere invaluit, homoeoteleuton carminibus suis non consulto adhibuerint, tamen non minus auribus quam digitis legitimum, ut ait Horatius, sonum calluisse et in utendo illo soni lenocinio non solum multo opere, sed etiam quasi faustissima Minerva elaborasse, quae recentiorum linguarum versiones omni sonorum artificio imitari non possint, quaeque in lingua vetere ipsa a peritis et doctis solo auditu vel sensu percipi velint.

Instituerunt autem hoc poëtae veteres quadruplici potissimum ratione, inveniuntur enim quattuor sono quasi ludendi genera apud illos, quorum usus in litteris antiquis est frequentissimus, et frequentior fere, quam apud nostrates.

Primum genus cernitur in consonantium repetitione, quae instituitur non solum ab initio vocum integrarum, sed etiam ab initio mediarum ejusdem vocis syllabarum; quin etiam quibusdam locis illud quoque in eum finem potest advocari, quod littera consonans in fine ad sequentem vocem a vocali incipientem recitando traducitur. — Appellata est ea figura a viris talium rerum peritis allitteratio.

Alterum genus existit, quum vocalium repetitio fit aut ab initio plurium vocabulorum aut in mediis vel exeuntibus, aut pluribus locis simul, id quod etiam in consonantibus observari potest. Litterae vocales sonum vocis proprie efficiunt, unde factum est, ut ea soni figura assonantiae nomen acceperit.

Quae priora duo genera ad singulas litteras pertinent, earumque usu bene considerato nituntur. Fuerunt etiam, qui eorum partes plures et quasi secundarias statuerent, quas quidem bene et recte constitui posse concedo, sed in ea, quae mox sequitur, exemplorum enumeratione negligere malui.

Relinquuntur alia duo genera, quae non jam ad singulas litteras, sed ad integras syllabas spectant. Quorum alterum cernitur in repetitione syllabae radicalis in pluribus ejusdem originis vocabulis, et annominationis nomine designatur, alterum in iterandis vocabulorum terminationibus, aut plane iisdem, ut ex eadem flexionis ratione proveniant, aut similibus tantum, ut ad varia flexionis genera pertineant. Hoc quidem vocaverunt homoeoteleuton, sed quum eo nomine potissimum duo tantum vel plures versus, quorum in fine similis sonus et quasi concentus existat, designentur, eam soni figuram, quae in uno versu saepius repetita terminatione oritur, eoque ab illa maxime differt, ad analogiam eorum, quae jam accepimus, nominum, quibusque omnibus virorum classici generis peritorum venia et indulgentia est impetranda, atterminationem appellaverim.

Ceterum in hujusmodi figuris statuendum videtur, syllabas finales, etiam si elidantur propter leges metricas, et in recitatione quasi evanescant, quum quidem si non auditu, tamen sensu audientium haud dubie perceptae sint, minime esse negligendas, sed aequo jure respiciendas. Qua de causa in exemplorum serie talium quoque locorum rationem habui.

Utuntur autem his soni figuris poëtae veteres ad depingendos varios animi motus, mentisque perturbationes, id quod in fabulis potissimum scenicis maximi momenti fuit, et histrionibus actionis artem valde adjuvare, recitationisque et declamationis vim et effectum profecto mirum in modum augere potuit. Prae ceteris comoediae veterum iis abundant, easque saepissime aut totam fere loci cujusdam vim comicam efficere, aut eam saltem speciosiorem atque efficaciorem reddere facile potest evinci.

Videmus etiam poëtas iis potissimum personis sermonem talibus figuris ornatam et quasi conditam attribuere, in quibus totius fabulae cardines versentur, et dictionem scenicam tum maxime iis scatere, quum rerum actionumque implicatio aut ad altiorem aut denique ad summum evehatur gradum. Et vere sunt loci, in quibus propter argumenti gravitatem poëtae plures tales aut unius aut diversi coloris sonorum radios ad augendum sermonis splendorem conjunxerunt, et in totius fabulae quasi focum collegerunt, cujus rei aptum et speciosum in fine hujus scriptionis subjeci exemplum.

Atque ad ea, quae in una Terentii fabula, in Adelphis, reperiantur, transeamus exempla.

I. Alliterationis exempla.

Jam in primis prologi versibus, qui ut omnes, quos novimus, poëtae prologi minus ad summatim proponendum fabulae argumentum, quam ad depugnandos adversarios compositus est, audimus quasi obsibilantem his obtrectatoribus eosque explodentem poetam iteratis litteris s. et p.

Postquám poëta sénsit, scripturám suam
Ab iníquis observáre et adversários
Rapere in pejorem pártem, quam acturi sumus
Indício de se ipse érit, vos eritis júdices.

Acta I.

Scena II. In colloquio Micionis et Demeae fratrum, qui sine ullo dubio primarias fabulae partes agunt, ille quidem blande et leniter v. 4.

Quid fecit? —
Hic vero eum excipiens et irascens:
Quid ille fécerit! quem néque pudet
Quidquám: nec metuit quémquam.
Idem v. 9 etc. eodem cum animi motu:
atqne omnem fámiliam
Mulcávit usque ad mórtem: eripuit múlierem
Quam amábat, clamant ómnes etc.

V. 53. sequ. Demea simulate concedens, sed cum ira:
tibi si istúc placet
Profúndat, perdat, péreat! nihil ad me áttinet.
Jam si únum verbum pósthac.

Actus II.

Scen. I. Aeschinus ad Parmenonem, qui Sannioni prius, quam ille jusserat, colaphum inflixit, illudens:

v. 20. Non innueram: verum in istam partem pótius peccató tamen.
Paullo infra v. 33. Sannio de se ipso, sed ex sententia aliorum, quasi ironice:
Lenó sum, fateor: pérnicies commúnis adolescéntium
Perjúrus, pestis. —

Scen. II. v. 37. Sannio querens et ejulans, ut risus excitetur:
Praetérea colaphis túber est totúm caput.

Scen. III. Ctesipho, propter Aeschini fratris beneficium gaudio elatus, gratoque in illum animo:

v. 5. 6. Itaque únam hanc rem me habére praeter alios praecipuam árbitror
Fratrem hómini nemini ésse primarum ártium magis príncipem. —

Scen. IV. Aeschinus ad fratrem blande corrigens:

v. 7. Age inépte: quasi nunc nón norimus nós inter nos, Ctésipho.

v. 10 sequ. Simili ratione:
Ct. Pudébat. Aesh. Ah! stultítia'st istaec nón pudor; tam ob párvolam
Rem péne ex patria! — Túrpe dictu! Deós quaeso ut istaec próhibeant.
Ct. Peccávi! —

v. 19. Ctesipho metuens et anxius:
Aliqua ád patrem hoc permánet atque ego túm perpetuo périerim.

Actus III.

Scen. I. Sostratu magna cum animi aegritudine Aeschinum expectans:
v. 7. Solus meárum miseriarum est rémedium.
Canthara Aeschinum mirata vituperans:
V. 10. Tálem, tali génere atque animo, nátum ex tanta fámilia.

Scen. II. Geta, servus pius et aegre ferens quae comperit:
v. 6. Hóccine seclum! o scélera! o genera sácrilega! o hominem ímpium.
v. 26. Geta eum aposiopesi: Prórsus — Sostr. Quid istuc prórsus ergo 'st? Get. Périimus!
v. 35. Sostrata de Aeschino querens:
Qui se ín sui gremió positurum púerum dicebát patris.

Actus IV.

Scen. V. Micio ad Aeschinum simulate mirans:
v. 36. Qua rátione istuc? quís despondit? quís dedit?
Cui? quándo nupsit? aúctor his rebús quis est? —
v. 47. sequ. Aechinus ad Micionem, quum prima nodi fila solvuntur, pio gratoque ore:
'Ita velim me prómerentem amés, dum vivas mí pater,
'Ut me hoc delictum ádmisisse ín me íd mihi vehementér dolet,
'Et me tui pudét.

Scen. VII.
v. 40. sequ. Demea, cujus indignatio ad summum evehitur fastigium, solus secum:
Hanccine vitam! hoscine móres! hanc deméntiam!
Uxór sine dote véniet: intus Psáltria est:
Domus súmtuosa: adoléscens luxu pérditus:
Senéx delirans: ípsa, si cupiát, Salus,
Serváre prorsus nón potest hanc fámiliam.

Locus profecto egregie sonans, magnoque cum effectu quartum fabulae actum concludens.

Actus V.

Scen. II. v. 6. Demea Syro minans:
Non manum ábstines, mastígia?
An tíbi jam mavis cérebrum dispergi hic? —
Syrus, villi plenus, secum:
Abit.
Aedepól commissatórem haud sane cómmodum,
Praesértim Ctesiphóni.

Scen. IV. Demeae monologus, artificiosus et ad versuum sonum quod attinet, excellens. Allitterationis exemplum habes v. 25 exquisitum:

Ego quoque a meis me amari et mágni pendi póstulo.

Ea enim per totum versum pergit, quum transitur tantum a littera labiali, eaque leniore **m.** ad duriorem **p.**

Scen. VI. Demea Getam, quem libertate donandum censet, laudans.

v. 5. Nam is míhi profecto est sérvus spectatús satis.

Assonantiae exempla.

Poëta in prologo, postquam primam adversariorum incusationem refellit, idque, ut supra vidimus, sibilante quadam allitteratione jam primo versu significavit ad explodendam alteram graviter sonanti utitur assonantia vocalis **o**, cui additur iterum repetitio litterae **p.** v. 18 sequ.

Eam laúdem hic ducit máximam, quum illis placet,
Qui vóbis univérsis et populó placent,
Quorum ópera in bello in ótio in negótio
Suo quisque tempore úsus 'st — — —

Similis soni gravitas oritur repetitione ejusdem vocalis Actus primi, Scena I, in verbis Micionis, quibus suaviter declarat suum filii adoptati amorem, v. 21 sequ.

nati filii
Duo: inde ego hunc majórem adoptavi mihi:
Edúxi, a parvulo: hábui, amavi pró meo:
In eó me oblecto: sólum id est carúm mihi.
Ille út item contra me hábeat facio sédulo;
Do, praétermitto: nón necesse habeo ómnia
Pro meó jure agere.

Ad exprimendam Demeae indignationem pertinet similis assonantia:

Scen. II. 12. — hoc adveniénti quot mihi Mício,
Dixére! in ore est ómni populo.

Actus II.

Scen. I. Aeschinus Sannioni instans ad Parmenonem, v. 15 sequ.

Cáve nunc jam oculos á meis óculis quóquam demoveás tuos:
Ne móra si, sit innueró, quin pugnus cóntinuo in mala haéreat.

Scen. II. Sannio querens et se excusans ad Syrum v. 7:

Qui pótui melius, qui hódie usque os praébui?

Syrus imitando eam assonantiam excipiens v. 8.

Pecúniam in locó negligere máximum interdúm 'st lucrum. Sa. Hui!

Actus III.

Scen. II. Geta, Sostratam conspiciens, laetus quidem sed etiam vehementer sollicitus: v. 24.

Te éxpeto: oppido ópportunc te óbtulisti mi óbviam.

Idem consilium suum exponens, omnia, quae cum Aeschino et Pamphila acciderint esse celanda et tegenda, inde a versu 39. multa utitur assonantia in repetendis vocalibus **a** et **o**, donec concludit locum his verbis, v. 44.

Quaprópter quoquo pácto tacito 'st opus.

Paullo post similiter Sostrata suum omnia detegendi consilium his verbis absolvit v. 53.

Tu quantúm potes,
Abi, atque Hégioni cógnato hujus rem énarrato omnem órdine:
Nam is nóstro Simuló fuit summus, ét nos coluit máxime.

Scen. III. v. 55. Demea simulatis a Syro Ctesiphonis laudibus vehementer gaudens:

Oh, lacrumo gaúdio! —

quam vocalis **o** iterationem frequentiorem per aliquot versus retinet, laetae loquacitati indulgens, et a Syro interdum sed aliis vocibus, eam vocalem non resonantibus, interpellatus, donec ille v. 65 imitando his responsis:

probissime! — Non hercle otium 'st

colloquium ita invertit, ut etiam in sequentibus assonantiae imitatio continuetur ab ipso.

Actus IV.

Scen. I. In voto Ctesiphonis scilicet satis pio v. 4.

Ut tríduo hoc perpétuo prorsum e lécto nequeat súrgere,

poteris assonantiam eum allitteratione conjunctam agnoscere.

Scen. V. Micio ad Aeschinum leni et benigna cum reprehensione v. 59 sequ.

Quid? credebas, dórmienti haec tíbi confecturós deos?
'Et illam sine tua ópera in cubiculum iri deductúm domum?
Nólim ceterárum rerum té socordem eodém modo.
Bóno animo es: ducés uxorem hanc: bóno animo es, inquám. Aesch. Pater,
'Obsecro, num lúdis tu nunc me? M. 'Ego te! quamobrem? Aesch. Néscio.

Aeschinus, qui eam assonantiam respondendo jam adjuvit, denique gaudio elatus exclamat, v. 66: Di mé, pater,

'Omnes oderint, ni magis te quam óculos nunc amó meos.

Addit paullo infra v. 70, 71:

Tú potiús Deos cómprecare! nám tibi eos certó scio,
Quó vir melior múlto es quam ego, obtémperaturós magis.

Actus V.

Scen. III. Micio Demeam amicis verbis alloquitur, ut sanam et quietam rerum rationem habeat, animique iracundiam denique compescat, velut vers. 20 sequ.

Auscúlta paucis, nísi molestum, Démea,
Princípio, si id te mórdet, sumtum fílii
Quem fáciunt, quaeso hoc fácito tecum cógites:
Tu illós duos olim pró re tollebás tua,
Quod sátis putabas túa bona ambobús fore etc.

Inest iterum in his versibb. consulta vocalis o repetitio, quae fere tota scena magis minusve observari potest.

Scen. IV. Demea secum cum animi aegritudine v. 21 seq.

Ita eos meo labóre eductos máxumo hic fécit suos
Paúllo sumtu: miseriam omnem ego cápio, hic potitur gaúdia.
Age age, nunc expériar porro cóntra, ecquid ego póssiem
Blánde dicere, aút benigne fácere, quando eo próvocat.

Scen. IX. v. 21. Syrus ad Demeam laeto et gratissimo animo:

Dí tibi, Demea, ómnia omnes sémper optata ófferunt.

In quibus verbis etiam inest annominatio.

Annominationis exempla.

Ejus generis rariora quidem in adelphis sunt exempla, sed non desunt.

Actu I. Scena II. 57. Micio:

Unúm vis curem? cúro: et est Dis grátia.

Act. II. Scen. II. Syrus ad Sannionem v. 10:

hóminum homo stultíssime!

Act. III. Scen. III. Demea iratus et sollicitus v. 30:

Vae miseró mihi!
Vidére videor jám diem illum etc.

Act. IV. Scen. V. Aeschinus sollicitus et anxius ad Micionem simulata narrantem v. 34.

Quum hanc sibi vidébit praésens praesenti éripi.

Scen. VII. Micio hominum vitam cum tesserarum ludo comparans v. 23:

Illúd, quod cecidit fórte, id arte ut corrigas.

Statim Demea excipiens ironice:

Corréctor! etc.

Act. V. Scen. IX. Demea v. 33:

Quí non justa injústa prorsus omnia omnino óbsequor.

Atterminationis exempla.

Multo plura eaque aptissima hujus generis exempla in Adelphis offeruntur.

Actus I.

Scena I. Micio de cessante filio vehementer anxius suamque parentis cum uxorum de cessante marito sollicitudinem comparans v. 11:

Et quibus núnc sollicitor rébus! ne aut ille álserit,
Aut úspiam cecíderit, aut perfrégerit
Aliquíd. —

Scen. II. Idem, postquam Demea abiit, secum, quae ille dixerit, reputans nec omnia omnino improbans v. 72 sequ.

Sperábam jam deférvisse adolescéntiam
Gaudébam.

Actus II.

Scen. I. Aechinus minans ad Sannionem, v. 27:

Nam sí molestus pérgis esse, jam íntro abripiere átque ibi
Usque ád necem operiére loris. Sann. Lóris? liber? —

ubi etiam in responsione Sannionis apta observari potest allitteratio.

Scen. II. Sannio ratione valde comica allitterationem cum atterminatione conjungit v. 3:

Ego vápulando, ille vérberando, usque ámbo defessí sumus.

Actus III.

Scen. I. Canthara cum levi objurgatione ad Sostratam de instante Pamphilae partu vehementer anxiam v. 3:

Jam núnc times quasi númquam adfueris, númquam tute pépereris.

Scen. II. Geta, qui heram et nutricem in scena adesse nondum sentit, vehementer iratus Aeschino, pioque animo suo maxime laesus secum, v. 13:

Nihil ést quod malim, quam íllam totam fámiliam dari (mi) óbviam,
Ut ego íram hanc in eos évomam omnem.

Statim sequitur locus efficacissimus, in quo etiam observari potest gradatio quaedam in ipsa soni figura, v. 15 sequ.

Seni ánimam primum exstínguerem ipsi, qui íllud produxit scelus.
Tum autém Syrum impulsórem, vah, quibus íllum lacerarém modis!
Sublímem medium arriperem, et capite prónum in terram státuerem,
Ut cérebro dispergát viam.
Adolescenti ipsi éripérem oculos, póst haec praecipitém darem.
Caéteros ruerem, ágerem, raperem, túnderem et prostérnerem.

Bini priores loci versus eam imperfecti conjunctivi formam semel, qui sequuntur duo bis proferunt, in extremo quinquies repetitam vides.

Scen. III, v. 57, 58 similis soni lusus. Demea vano scilicet gaudio repletus propter Ctesiphonis integritatem, quam Syrus ei imposuit, partim secum, partim ad Syrum addita quoque allitteratione:

D. Salvós sit spero: est símilis majorúm suum. Syr. Hui! —
D. Syre, praéceptorum plénus istorum, ille. Syr. Phy! —

Videas potissimum Syri interpellationem illudentem in exitu utriusque versus, qua fere homoeoteleuton efficitur. Locum, qui sequitur supra jam attigimus, est enim valde sonorus et miro artificio compositus. Ad atterminationem quod attinet, attendas potissimum ad versum 71. Syri:

Hoc sálsum 'st, hoc adústum 'st, hoc lautúm 'st parum!

Scen. IV. Hegio, senex probus ac severus, enarrans Demeae, quae commiserit Aeschinus in Pamphilam v. 25 sequ.

Venit ípsus ultro, lácrumans, orans, óbsecrans,
Fidém dans, jurans se íllam ducturúm domum,
Ignótum 'st, tacitum 'st, créditum 'st.

Et infra idem, omni severitate affirmans, se adjuturum esse mulieres fraude deceptas, v. 51 sequ.

Quaprópter nitar, fáciam, experiar: dénique
Animám relinquam pótius, quam illas déseram.

Actus IV.

Scen. II. Ctesipho latens et Syri consilio minus fidens, callide secum v. 12:

Núnquam hercle hodie ego ístuc committám tibi:
Nám me jam in cellam áliquam cum illa cóncludam id tutíssimum 'st.

Et versu qui sequitur Demea Syrum conspiciens et irascens:

Séd eccum sceleratúm Syrum!

Scen. V. Micione falsum callide nuntium proferente, ut Aeschini veram animi sententiam cognoscat, ille eam prodens v. 29 sequ.

Fáctum a vobis dúriter,
Immisericorditérque atque etiam, si ést, pater,
Dicéndum magis apérte, illiberáliter. —

Infra Micio Aeschinum leniter, sed severe vituperans v. 53 sequ.

Jam íd peccatum prímum magnum: mágnum, at humanúm tamen.
Fécere alii saépe item boni: at póstquam id evenít, cedo,
Númquid circumspéxti? aut numquid túte prospextí tibi.
Quíd fieret? Qua fieret? —

V. 69. Micio, postquam Aeschini integritatem satis cognovit, se aliquid simulasse fatens:

Abiit, periit, návem adscendit.

Actus V.

Scen. I. Syrus potus, Demea in eum invehens: V. 4 sequ.

Syr. Aedepól, Syrisce, té curasti móllíter,
Lautéque munus ádministrasti tuum.
Abi! séd postquam intus sum ómnium rerúm satur,
Prodeámbulare huc libitum 'st. —

V. 8 sequ.

D. Tun'? sí meus esses! Syr. Dís quidem esses, Démea! —
Ac tuám rem constabilísses. D. Exemplum ómnibus
Curárem ut esses! —

Scen. II. Syrus crapulam edormíturus, v. 11:

Aliquo ábeam, atque edormíscam hoc villi. síc agam.

Observari quoque hoc loco potest quatuor ultimos 8—11 alternos in aequalem sonum exire: commodum, nunc agam
angulum, sic agam.

Scen. III. Demea, Micioni jam cedens, sed aegritudine morsus, quid cum psaltria ista facturus sit, profert v. 60:

Illí favillae pléna, fumi ac póllinis,
Coquéndo sit faxo ét molendo: praéter haec
Meridie ipso fáciam, ut stipulam cólligat.
Tam excóctam reddam, atque átram quam carbó 'st etc.

Scen. VII. Demea mutato callide consilio suo ad Aeschinum, v. 8:

Missa haéc face,
Hymenaéum, turbas, lámpadas, tibícinas.

Attendas ad gradationem in syllabarum numero.

Idem eodem loco callido cum obsequio ad Aeschinum v. 22:

Multo réctiu 'st,
Quam illám puerperám nunc duci huc pér viam.
Aegrótam.

Scen. VIII. Micio, precibus Aeschini et Demeae devictus, quamvis comice, subirascens. V. 21:

Etsi hóc mihi pravum, inéptum, absurdum, atque álienum a vitá mea
Vidétur: si vos tántopere istuc vóltis, fiat etc.

Eliduntur quidem omnium adjectivorum terminationes consonantes, sed illud fieri posse, neque quidquam inde figurae effectui detrahi, supra vidimus.

Demea ad Micionem, amice et blande, ut eum ad novam in Hegionem comprobandam liberalitatem permoveat v. 27:

Si multúm est, tamen
Faciéndum est: pro patre huíc est: bonus est: nóster est: recté datur.

Scen. IX. Syrus in suam ipsius laudem, v. 5:

'Ego istos vobis úsque a pueris cúravi ambos sédulo,
Dócui, monui, béne praecepi sémper, quae potui, ómnia.

Syrus rogitans, et Demea accedens, v. 16:

S. Crédo: utinam hoc perpétuum fiat gaúdium,
Phrýgiam ut uxorém meam una mécum videam líberam.
D. 'Optumam quidem múlierem. Syr. Et quidem tuó nepoti, hujus filio
Hódie primam mámmam dedit haec.

V. 29 sequ. Verba sunt Demeae, qui ut omnia in justum quasi ordinem redigeret, eam, quam in scenis praecedentibus ostendit, liberalitatem, indulgentiam, largitatem fere invitus prae se gesserat. In eo loco, quo totius fabulae documentum quasi focus continetur, admirabilis est sonorum lusus, ut fere omnia istius generis exempla conjungantur, qua de caussa integrum adscribimus:

Dicám tibi:
'Ut id ostenderém, quod te isti fácilem et festivóm putant,
'Id non fieri ex véra vita, néque adeo ex aequo ét bono,
Séd adsentando atque índulgendo et lárgiundo, Mício.
Núnc adeo, si ob éam rem vobis méa vita invisa, Aéschine, est;
Quía non justa injústa prorsus ómnia omnino óbsequor:
Míssa facio, effúndite, emite, fácite, quod vobís lúbet.
Séd si id voltis pótius, quae vos própter adolescéntiam
Mínus videtis, mágis impense cúpitis, consulitís parum,
Haéc reprehendere ét corrigere, et óbsecundare ín loco:
'Ecce me, qui id fáciam vobis.

Similis locus, arte et versuum sono excellens, quem supra jam attigi, est Actu V, Scena IV Demeae monologus, quo consilium suum se plane immutaturum esse dicit, quo facto sequentes, quibus exit fabula, scenae, quarum effectus maxime comicus est, quasi praeparantur. Juvat, ex eo loco aliquot tantum versus adscribere, qui in optimis et splendissimis totius fabulae numerandi videantur:

V. 8 sequ.

'Id esse verum, ex me átque ex fratre cuívis facile est nóscere.
'Ille suam semper égit vitam in ótio, in convíviis:
Clémens, placidus, núlli laedere ós, arridere ómnibus.
Síbi vixit, sibi súmtum fecit: ómnes bene dicúnt, amant.
'Ego ille agrestis, saevus, tristis, párcus truculentús, tenax,
Dúxi uxorem etc.

Et paullo post v. 16 sequ.

Núnc, exacta aetáte hoc fructi pró labore ab hís fero,
'Odium. ille alter síne labore pátria potitur cómmoda,
'Illum amant, me fúgitant: illi crédunt consilia ómnia:
'Illum diligúnt: apud illum súnt ambo: ego desértus sum.
'Illum, ut vivat, óptant: meam autem mórtem exspectant.

Quamquam eorum quidem versuum non solum sita est venustas in soni figuris, quas descripsimus, sed etiam in omni ordine et constructione, quae veri artificis manum prodit. Respicias quoque aptissimam, quae iis inest, antithesin. —

Haec quidem apta et digna duxi, quae proponerentur ex illa fabula ejus generis, de quo disseritur, exempla, quibus comprobari volui, multam et profecto admirabilem artem veteres poëtas, praecipue comicos, etiam in perpolienda forma exteriore poëmatum suorum posuisse; — quod enim in una unius poëtae fabula exemplorum multitudine mea quidem sententia sufficienti comprobasse mihi videor, illud etiam ad reliquas ejusdem, et ad alia aliorum carmina pertinere et facile in illis inveniri posse, quisque quamvis obiter tantum eo consilio ad talia intuens libenter mihi concedet, quaeque in eo genere contenderim atque affirmaverim, vera esse fatebitur. Excipiant igitur benigno et benevolo animo lectores, quaecunque significata magis quam accuratius et fusius elaborata hisce pagellis exposuimus atque obtulimus.